

RELIQUIÆ SANCTORUM.

1. Venerari oportet Sanctorum Reliquias, cum earum cultum illustribus Deus miraculis comprobaverit ac prodigiis. Verum sicut Sanctorum cultus ad Deum unice referendus est, ita veneratio eorum reliquiis exhibita ipsos Sanctos directe ac immediate respicit.

2. Dum dicitur, omni veneratione colendas esse Sanctorum reliquias, nihil aliud intelligitur quam cultus reverentiæ ac observantiæ, quem cuilibet rei sacræ deferri decet.

3. Concilium Tridentinum prohibet, ne in ecclesiis publice exponantur ullæ Sanctorum novæ reliquiæ, nisi ab Episcopo post diligentem inquisitionem ac cautam discussionem sufficienter informato recognitæ, & ut authenticæ approbatæ fuerint. Falsas reliquias jactitare pro veris Sanctorum reliquiis, idem est, ac cultum religiosum decernere rebus, quibus utpote indignis minime debetur; & ordinarie spiritus avaritiæ est, qui facilem hac in re nutrit ac fovet credulitatem.

4. S. Augustinus queritur de quibusdam sui temporis hypocritis, quos emissarios dæmonis vocat, qui habitu monachali induti provincias percurrerant, reliquiasque vendebant, dicentes, esse reliquias Martyrum. S. Gregorius magnus invenitur in quosdam monachos Græcos, qui venientes Romam ex sepulchris prope ecclesiam S. Pauli colligebant ossa humana, eaque secum in Græciam deportabant, sacras reliquias esse asserentes.

5. Reliquiæ Sanctorum in peculiaribus thecis ac capsulis recondendæ, nec extra eas passim petentibus exhibendæ sunt. Habetur hac super re constitutio Concilii IV. Lateranensis sub Innocentio III. cujus verba sunt: *Cum ex eo, quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostendant, Christianæ religioni detractum sit sæpius; ne imposteriorum detrahat, præsentis decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales.*

6. Reliquiæ Sanctorum nunquam exponantur, nisi accensis cereis aut lampadibus. Non est permittendum, ut foeminae confideant prope reliquias venerationi populi expositas. In supplicationibus & processionibus publicis eæ non a laicis, sed a clericis deferendæ sunt.

CASUS I. Casimirus sacerdos Roma secum attulit reliquias cujusdam sancti Martyris, quas parochiam postmodum

con-

consecutus eleganter exornatas ac in reliquiario reconditas propria sua autoritate in ecclesia sua parochiali fidelium venerationi exposuit. Num bene factum?

R. Juxta Concilium Tridentinum non potuit eas exponere, nisi prius ab Episcopo tanquam genuinæ recognitæ, & eas exponendi licentia concessa fuerit. *Statuit S. Synodus, ait sess. 25. Decr. de invoc. & reliq. Sanct. nemini licere ullo in loco, vel in ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit. . . nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo. Pontas.*

CASUS II. Parochiæ cujusdam curatores litem suscitaverunt curatoribus alterius ecclesiæ parochialis vicinæ super insignibus quibusdam reliquiis expositis in hac posteriore ecclesia, in qua ex piis fidelium largitionibus apud easdem oblatas viginti circiter quotannis imperiales percipiebantur, prætendebantque una cum suo parcho, ad ecclesiam suam pertinere has reliquias. Proposita a quodam utriusque partis amico conventionem placuit, ut reliquiæ relinquuntur ecclesiæ, in qua hætenus fuerant asservatæ, oblata vero æquis partibus inter utramque ecclesiam dividantur. An non vitiosa est hæc transactio?

R. Transactio hæc sola partium litigantium autoritate facta non est canonica, nec fieri potuit tuta conscientia; necessario intervenire debuisset autoritas Episcopi: certum enim est, reliquias numerari inter res sacras, quamprimum ab Episcopo recognitæ fuerint ut authenticæ; indubitatum quoque est, gratias per intercessionem Sanctorum a Deo obtentas pertinere inter res pure spirituales. Ex quo sequitur, quod sine peccato in nullum possint venire commercium, nec pecunia expendi possit pro illis aquirendis aut retinendis. *Pontas.*

CASUS III. Bermondus parochus cum in ecclesia sua nullas haberet Sanctorum reliquias, a vicino parcho impetravit caput cujusdam Sancti, erga quem parochiani singulari devotione ferebantur; consensere etiam curatores ecclesiæ, ea tamen pacta conditione, ut Bermondi ecclesia quotannis ex redditibus fabricæ quinque florenos solvat alteri ecclesiæ. An non vitiosa & simonica est hæc conventio?

R. Absque dubio est vitiosa & simonica; quia, quidquid est positum extra commercium humanum, non potest sub quocumque demum prætextu vendi: certum autem est, sacras reliquias esse extra omne humanum commercium, ut

O 5

decla

declararunt Imperatores Honorius & Theodosius : *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur.* S. Antoninus 3. part. tit. 12. c. 8. dicit : *Reliquias vendere vel emere est simoniacum* : Bermondus autem in casu præsentis emit, & alter parochus vicinus vendidit. *Nomine autem emptionis & venditionis, ut ait idem S. Doctor 2. part. Tit. 1. c. 5. §. 1. comprehenditur omnis contractus non gratuitus.* Pontas.

CASUS IV. Leo Sacrista cujusdam ecclesiæ cathedralis abstulit os brachii alicujus Sancti ex lypsanthecca, in qua cum multis aliis reliquiis erat reconditum, idque exposuit in ecclesia parochiali, ad quam nuper primum parochus institutus fuerat : an confessarius eum obligat ad restitutionem. Peccavitne clanculum surripiendo hanc reliquiam ? Teneturne etiam ad restitutionem ?

ꝑ. Merito ad restitutionem ipsum obligat confessarius. Leo grave commisit peccatum, nec potest retinere hoc sacrum os sine novo peccato. Insuper aliud speciale peccatum perpetravit, illud propria sua autoritate publicæ fidei venerationi exponendo sine licentia ac approbatione Episcopi. Pontas.

Vide *Simonia* cas. 61,

RENUNTIATIO BENEFICII.

1. *Renuntiatio* est abdicatio Beneficii facta a Titulari ejusdem ; sive dein habeat jus *in re*, cum scilicet legitima illius possessione gaudet, sive solum habeat jus *ad rem*, dum nimirum ad Beneficium assumptus nondum ejusdem possessionem adit, vel eidem renunciat ante confirmationem electionis a legitimo Superiore factam.

2. Renunciatio fieri debet *sponte, & cum cognitione causæ* ; quia ad validam renunciationem requiritur libertas, & causa legitima. Causæ autem ejusmodi sunt sex, & comprehenduntur in his duobus versiculis :

*Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

3. Beneficiatus non potest renunciare Beneficio suo absque causa legitima ; utque renunciatio sit canonica, debet fieri apud Superiorem.

4. Renunciatio est duplex ; una *pura & simplex*, qua quis renunciat Beneficio in manus collatoris absque ulla conditione ; altera *conditionata*, dum quis renunciat Beneficio in fa-

vorem

vorem alterius, & non aliter, aut ea conditione, ut resignatarius resignanti cedat aliud Beneficium, aut pensionem ex fructibus Beneficii ; & hujusmodi renunciatio proprie dicitur resignatio in favorem, aut permutationis causa, aut cum onere pensionis.

5. Hic solum sermo est de ea renunciatione, quæ renunciante nullum relinquit jus reclamandi contra renunciationem suam acceptatam a Superiore. De renunciatione conditionata vide Titulos *Pensio, Permutatio, & Resignatio*.

6. Renunciatio pura ut sit canonica, necesse est, ut fiat in manus ordinarii collatoris Beneficii, quovis alio excluso. Per puram renunciationem non censetur vacare Beneficium, nisi ea admissa fuerit a Superiore, in cujus manus fieri debet.

CASUS I. Euty chius renunciavit Abbatiæ suæ in manus Regis in favorem sui nepotis. Potestne resignatarius aulico offerre pecuniam pro impetranda a Rege resignationis acceptance ?

ꝑ. Supposito etiam, quod Rex teneat locum Papæ in iis, quæ concernunt Beneficia collationis Regiæ, nepos tamen iste nullum habet jus ad Abbatiam Euty chii. 1. Quia Rex non tenetur resignationem admittere, Abbatiamque, postquam per mortem resignantis vacaverit, conferre potest, cui libuerit. 2. Quia abdicatio ab Euty chio fuit facta sub conditione ; quamdiu autem non adimpletur conditio, tamdiu abdicatio est nulla, ac consequenter nullum præbet resignatario jus. Et sic nepos absque simonia non potest data pecunia admissionem resignationis promovere ; simoniacum enim est hac ratione collationem Beneficii sibi procurare. Pontas.

CASUS II. Eumenius Titularis cujusdam Pr oratus simplicis, ad quem jus præsentandi habet Abbas quidam, eidem pure ac simpliciter renunciat in manus Abbatis illius, qui altero mox die præsentat alium ad Prioratum.

ꝑ. Hæc renunciatio non est canonica ; cum non sit facta in manus collatoris. Pontas.

CASUS III. Gedeon Canonicus & Scholasticus cujusdam ecclesiæ cathedralis ex Titulo Beneficii sui ac vi juramenti ante aditam possessionem Capitulo præstiti singulis Dominicis ac Festis tenetur concionem habere, ac actualem, continuamque servare residentiam sub pœna ejusdem multæ, qua solet animadverti in cæteros Canonicos absque legitima causa absentes. Gedeon autem sæpe se ruri detinet pro solatio patris sui infirmi, ita, ut per quinquennium, ex quo Beneficium

cium suum possidet, singulis annis fere tribus mensibus absens fuerit. Redditibus ipsius sic notabiliter diminutis declaratum ipsi est a Capitulo, ut aut officio suo rite fungatur, aut præbendæ Scholastici renunciet; quod ille in manus Episcopi collatoris facere non renuit, dummodo Capitulum restituat 500 libras, quibus ob absentiam suam privatus fuerat; alias se resignaturum in favorem cujusdam clerici nec Capitulo nec Episcopo accepti. Quam conditionem cum Capitulum ultra mensem non acceptasset, tandem, ut ecclesiam ab indigno Beneficio liberaret, numerari ipsi jubet 500 libras, & quidem in præsentia cujusdam clerici totius rei conscii, quem Episcopus utpote summe dignum ac idoneum loco Gedeonis ad hoc Beneficium destinaverat. Hoc facto Gedeon in forma consueta pure ac simpliciter renunciat Beneficio in manus Episcopi, qui de eo mox disponit in favorem memorati clerici.

§. 1. Gedeon non potuit absque gravi peccato contra justitiam deesse residentie actuali ac continuæ, aliisque functionibus suis; & hinc justè fuit multatus. 2. Capitulum non potuit Gedeoni condonare 500 libras, quibus justè fuit privatus. 3. Merito a Gedeone fuit petita renunciatio Beneficii; sed ea fieri non potuit, nisi gratuito. Denique successor ipsius non potest excusari a simonia, cum totam rei seriem sciverit; & hinc provisio ipsius nulla est, teneturque fructus perceptos restituere ecclesie aut pauperibus, nisi de novo provisus a Papa obtinuerit condonationem fructuum perceptorum. *Pontas.*

CASUS IV. Medardus Canonicus cathedralis cum periculosissime decumberet, Florentiusque in præbendam ipsius intrudere vellet Titium, ille Medardo in præsentia notarii ac testium, cum quibus conspiraverat, subscribendum offert instrumentum renunciationis in favorem Titii, simulans, esse solutæ a villico ipsius pecuniæ apocham.

§. Florentius, notarius ac testes crimen falsi commiserunt. Si Titius est persona indigna hoc Beneficio, renunciatio est nulla, & provisio ipsius obreptitia ac invalida, Florentiusque tenetur reparare damnum tam ecclesie quam collatori. Si vero Titius est persona digna, ecclesieque nullum exinde detrimentum nascatur, Florentius solus tenetur reparare injuriam adversus collatorem commissam. Titius quoque rita conscientia non potest retinere præbendam, si falsitatis commissæ conscius sit; de qua ipsum monere tenetur Florentius, ut sciat, se in conscientia obligatum esse ad dimittendum

Bene-

Beneficium. Non solum Florentius, sed & notarius & testes, ac quicumque falsitatis participes fuerunt, tenentur in solidum ad reparandum damnum; & Florentius in particulari tenetur omnes complices monere de commisso crimine. *Pontas.*

NOTA Si Titius fuisset optima fide per tres annos in possessione hujus Beneficii, illud retinere posset: provisos enim de Beneficio etiam per simoniam, invincibiliter tamen ignoratam, manet in possessione ejusdem.

CASUS V. Nicomachus parochus, cum optaret, ut Beneficium suum obveniret Lamberto nepoti suo, accedit Mævium ejusdem collatorem, ipsique proponit, se pure ac simpliciter renunciaturum Beneficio in manus ipsius, hac tamen conditione, ut conferatur Lamberto; hoc ni fiat, se non renunciaturum. Mævius id promittit, & facta renuntiatione Beneficium confert Lamberto, prout promiserat.

§. Provisio Lamberti est simoniaca, consequenter nulla; & tam ipse quam collator incurrerunt poenas contra simoniacos latis: *Cum in talibus*, ait Innocentius III., *omnis pactio aut conventio cessare debeat*. Et re ipsa talis abdicatio proprie loquendo nil foret aliud, quam resignatio in favorem, quæ valide non potest admitti nisi a solo Pontifice. *Pontas.*

CASUS VI. Epipodes successorem in capellania sua sibi exoptans Hieronymum amicum suum, patronum ejusdem laicum Balduinum ad lautissimas invitavit epulas, iisque finitis offert ipsi in manus renunciationem suam, adjunctis precibus, ut præsentet ad hoc Beneficium Hieronymum; petitioni huic Balduinus consentit.

§. Licet hæc Epipodis agendi ratio ac calliditas a peccato excusari non possit, quia tamen nullum intercessit pactum nec expressum nec tacitum, nullaque conditio apposita nec ante nec post abdicatorem, sed solum facta supplicatio, quæ de se non poterat impedire Balduinum pro arbitrio suo disponendi de Beneficio, dici non potest, commissam fuisse simoniam contentivalem; non obstante, quod Epipodes reprehensione dignus sit, eoquod tam indigno ac alieno medio usus fuerit alterum ad Beneficium promovendi. Consequenter & præsentatio & collatio capellanie in favorem Hieronymi sunt validæ in utroque foro. Verum si Hieronymus induxisset Epipodem ad parandum patrono convivium, cum promisso compensandi impensas in illud factas, uterque simoniam commisisset. *Pontas.*

CA-

CASUS VII. In ecclesia quadam collegiata jam a quinquaginta annis consuetudo valuit, ut Beneficia a Capitulo dependentia conferantur illis, qui obtentam a resignantibus renunciationem offerunt, aut illis, quos renunciantes tanquam successores suos indicant.

β. Hæc consuetudo est simoniaca; 1. quia in hoc casu intervenit pactum, licet obvie tacitum, formale tamen, coram Deo. 2. Quia Canonici insistentes huic consuetudini admittunt quodam modo resignationes *in favorem*, quo jure solus Papa gaudet. 3. Quia hæc consuetudo aperte inducit successionem hæreditariam in Beneficia; id quod Ecclesia semper horruit, & reprobavit in Conciliis Lateranensi & Tridentino. *Pontas.*

CASUS VIII. Collator quidam recipit renunciationem Beneficii, ac promittit, se Beneficium collaturum illi, quem renuncians proposuerit.

β. Hæc renunciatio est simoniaca. Collator iste nec minimo indicio manifestare debet propositum suum satisfaciendi illi, qui renunciat: interveniret enim hoc modo pactum tacitum, quod collationem redderet simoniacam. Nec Beneficium hoc conferendum est illi, qui jam duo alia possidet Beneficia plusquam sufficientia: Concilium enim Tridentinum damnat hanc Beneficiorum pluralitatem. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Collatio. Permutatio. Provisio Beneficii. Resignatio. Simonia.*

RESERVATIO PECCATORUM.

1. Reservatio non solum locum habet in materia peccatorum, sed etiam censurarum, dispensationum, commutationis votorum, procurationum in provisione Beneficiorum, delegationum &c. Reservatio hujusmodi, qualiscumque ea sit, nihil est aliud, quam limitatio potestatis vel jurisdictionis sive ordinariæ sive delegatæ.

Si potestas est *ordinaria*, reservatio non habet locum nisi in casibus expressis; si vero est *delegata*, censentur reservata, quæcumque expresse non sunt concessa. Ratio hujus regulæ est; quia ordinariam habens potestatem potest omnia, quæ ipsi non sunt specialiter prohibita; delegatus autem nihil omnino potest, nisi quod ipsi expresse fuit demandatum. Si potestas est *ordinaria*, reservatio est odiosa, adeoque restringenda; si vero *delegata* est, reservatio est favorabilis & extendenda. Reservatio tam respectu potestatis ordi-

ordinariæ quam delegatæ provenit a jure & ab homine; cumque fundetur in sacra Scriptura, ligat in utroque foro.

3. *Reservatio peccatorum* juxta Concilium Tridentinum nihil est aliud quam limitatio potestatis absolvendi. Peccata possunt reservari vel ratione sui, vel ratione quadam extrinseca, id est *directe* vel *indirecte*. Directe id fit, dum nominatim ac in specie propter malitiam suam propriam reservantur; indirecte vero, dum reservantur ratione annexi, v. g. excommunicationis reservatæ, quam delinquentes incurrunt.

4. In Corpore juris non reperitur exemplum peccati directe & ratione sui reservati ante initium sæculi decimi quarti.

5. Facultas reservandi peccata pertinet ad potestatem jurisdictionis, sicut & facultas absolvendi, quæ per reservationem restringitur. Jus reservandi peccata Papæ & Episcopis competit jure divino, ut & Conciliis; siqui alii hoc jure gaudeant, illud tenent immediate ab Ecclesia. Qualitatem criminum reservandorum vel reservabilium explicat Concilium Tridentinum.

6. Finis reservationum vel est *generalis*, ut animarum salus, honor Dei &c. vel *particularis*, ut conservatio disciplinæ ecclesiasticæ, rarior lapsus in ejusmodi peccata ob difficultatem absolutionis, vel conciliatio majoris reverentiæ ac auctoritatis erga primarios Ecclesiæ Prælatos.

7. Reservatio sequitur confessarium, quocumque se conferat, supposito quod absolvat ex auctoritate reservantis; non vero si absolvat auctoritate alterius cujusdam; secus si res habet in poenitente, quando exit ex dioecesi, in qua commisit peccatum Episcopo reservatum. Pro articulo mortis cessat omnis reservatio.

CASUS. Petrocorius confessus est peccata reservata sacerdoti habenti potestatem absolvendi a reservatis. Post aliud quod tempus dubitare incipit de valore hujus confessionis, & omnia hæc peccata denuo in confessione exponere cogitat. Poteritne absolvi a quolibet sacerdote, etiam non habente potestatem absolvendi a reservatis?

β. Iterata hæc confessio fieri potest cuilibet confessario, dummodo is approbatus sit ab Episcopo: reservatio enim jam est sublata per priorem confessionem. *Fromageau.*

NOTA. In casu supponitur, quod poenitens deposuerit confessionem saltem formaliter integram de omnibus peccatis mortalibus etiam non reservatis, quæ occurrerant memoriæ.

Vide *Casus reservati.*

RESIDENTIA CANONICORUM.

1. *Residentia* vocatur commoratio Beneficiati continua in loco Beneficii, ut nullo non momento sit paratus ad obeunda munia ac ministeria Beneficii, siue curati siue non curati.

2. Obligatio, quæ incumbit Canonicis, residendi apud ecclesias, ex quibus trahunt titulos Beneficiorum suorum, fundatur in altera obligatione, qua scilicet tenentur quotidie decantare laudes divinas, & adimplere ea omnia, ad quæ vitæ taciti cum fundatoribus contractus sese obligarunt, dum acceptarunt præbendas suas. Interim tamen obligatio hæc respectu ipsorum non est adeo rigorosa, ut respectu parochorum; & jus canonicum in favorem eorum approbat causas absentiae, quæ nunquam sufficerent ad excusandam absentiam parochorum.

3. Nec tamen propterea jam satisfaciunt debito suo per solam residentiam; sed opus insuper est, ut exacte adimpleant obligationes Beneficio suo annexas: & sicut parochus absque legitima causa absens a parochia sua tenetur ad restitutionem fructuum sui Beneficii, idem prorsus dicendum est de Canonico, qui nec residet in loco canonicatus sui, nec choro assistit, & tamen percipit fructus canonicos.

4. Patebit per decursum hujus articuli, quænam sint causæ legitimæ, ex quibus Canonicus abesse possit, quin amittat fructus grossos; imo distributiones etiam quotidianas lucratur.

CASUS I. Sylvanus jam a decennio Theologiæ Doctor & professor in Universitate Duacensi semper hucusque, tamen absens, percepit fructus ex canonicatu, quem possidebat in ecclesia cathedrali Tornacensi. Estne securus in conscientia, non obstante absentia a loco canonicatus sui?

R. Professor iste secunda conscientia potest percipere fructus præbendæ suæ, etiam si non resideat. Concilium generale Lateranense de anno 1179. statuit, ut in quavis Cathedrali constituatur professor grammatices pro docendis pauperibus, eique Beneficium conferatur, ut possit docere gratis. Lateranense quartum anno 1215. confirmat ea, quæ jam prius fuerant decreta, & ordinat insuper institutionem professoris Theologiæ in qualibet ecclesia metropolitana, assignatis tam Grammatico quam Theologo redditibus canonicatus. Atque hinc est famosa illa Decretalis, *Super specula*. 5. lib. 5. Tit. 5. ubi Honorius III. ait: *Docentes vero in theologica facultate, dum in scholis docuerint . . . percipiant proventus præ-*

præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine vel statuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Sylvius igitur tuto conscientia percipere potest fructus canonicatus sui. Id tamen intelligendum non est de professoribus cathedras occupantibus, quarum fundatio expresse cavet, ne ad illas evecti Beneficio provideantur residentiam exigente. Unde sequitur, quod si emolumenta professorum essent adeo notabilia, ut nulla prorsus appareat necessitas iis adhuc præbendam adiciendi, ut in Hispania ac Polonia videmus, professor tuto conscientia non posset uti privilegio hoc a jure concessio; cum certum sit, mentem Conciliorum & Pontificum non fuisse, hujusmodi professores ditandi, sed solum necessariam ac honestam sustentationem illis ministrandi. *Pontas.*

CASUS II. Renatus Canonicus ecclesiæ Burdigalensis sedecim vel octodecim annos natus, aliquot abhinc annis fructus redditibus sui canonicatus, licet absens studiorum causa, quibus incumbit Parisiis. Estne securus in conscientia?

R. Privilegium professorum, de quibus in præcedente casu sermo fuit, extendendum etiam est ad eos, qui studio Theologiæ operam navant juxta Decretalem ibi citatam; non tamen alios nisi fructus grossos possunt percipere. Juxta Fagnanum & plures alios Canonistas etiam juris canonici studio competit hoc privilegium. *Ad alias autem scientias, inquit Cabassutius L. 5. c. 1. n. 7. ut illis studens possit absens fructus Beneficii residentiam deposcentis percipere, necessaria est Prælati licentia.* Quod dictum de Canonicis studentibus, nequaquam ad parochos extendi potest; quia actualis eorum residentia incomparabiliter magis Ecclesiæ est necessaria, quam Canonorum; neque possunt Episcopi juxta declarationem sacre congregationis circa hoc impertiri dispensationem. Idem statuit anno 1624. Concilium Burdigalense: *Nisi id personæ meritum in utilitatem Ecclesiæ cessurum exigere comprobetur.* *Pontas.*

CASUS III. Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus novelli Canonici ecclesiæ Agathensis, in qua duodecim tantum sunt præbendæ, obtenta a suo Capitulo, infcio tamen Episcopo, licentia discedendi Burdigalam studiorum causa, ibidem integro jam quimestri studiis vacant. Certior factus de eorum discessu Episcopus ipsos revocat ad suas præbendas; eo quod sine sua licentia abierint, & aliunde Capitulum cathedrale ex Canonicis oppido paucis constet non sine detrimento cultus divini. Tenentur in conscientia obedire Episcopo? Possuntne in casu tergiversationis ad hoc etiam cogi?

Dist. Cas. Conf. Tom. III.

P

R. Te-

β. Tenentur obedire; & si renuant, Prælato competit jus illos eo adigendi per pœnas canonicas. Ita Gregorius IX. Cap. *Cum ad hoc*. 16. Lib. 3. Tit. 4. Hostiensis cum aliis advertit, posse ab Episcopo obligari Canonicos studiorum causa absentes ad redeundum, ut suis deserviant Beneficiis, non solum dum ex eorum absentia cultus divinus notabiliter diminuitur, sed etiam dum novit, neglectis studiis tempus ab iis inutiliter dilapidari. *Pontas.*

CASUS IV. Petrus & Paulus Canonici cathedrales, assumpti ab Episcopo ad regimen diœcesis, possuntne tuta conscientia sub hoc prætextu percipere fructus Beneficiorum fuorum, licet absentes?

β. Alexander III. Cap. *De cœtero*. 7. & Honorius III. Cap. *Ad audientiam*. 15. Lib. 3. Tit. 4. Canonicis istis fructus adjudicant, etsi non residentibus. *Decernimus*, inquit Honorius III. l. c. *ut duo ex Canonicis in tuo servitio existentes suarum fructus integre percipiant præbendarum; cum absentes dici non debeant, sed præsentis, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.* Aliunde hujusmodi Canonici Ecclesiæ multo sunt utiliores servitio hoc, quod Episcopo exhibent, quam cæteri Canonici choro ac psalmodiæ assistentes. Id tamen intelligendum non est de distributionibus quotidianis; cum praxis contraria indiscriminatim contra omnes absentes jam ante has decretales introducta fuerit, & exinde ad nostra usque tempora constanter obtinuerit. *Pontas.*

CASUS V. Capitulum cathedrale quinquaginta constans Canonicis, amplissimosque habens redditus, pro more vix non universali omnium Capitulorum ad Curiam Principis misit unum ex Canonicis suis, ut ibidem negotia totius Corporis & causas judiciales curaret, urgeretque. Moratur hic ibi jam per solidum triennium. Sufficitne hæc ratio ad hoc, ut possit percipere fructus grossos & distributiones?

β. Motivum, quod juxta Tridentinum Sess. 23. c. 1. de reform. excusat Canonicum a residentia, evidens scilicet *Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*, evidenter locum habet in casu præsentis. Jure igitur Canonicus iste fructus Beneficii sui percipit, imo, ubi ita consuetudo fert, etiam distributiones quotidianas. *Si quis abesse cogatur*, inquit Cabassutius L. 5. c. 1. n. 6. *ad curanda ecclesiæ, cujus est Præbendatus, negotia ex Capituli commissione . . . non est distributionibus privandus.* Idem dicendum 1. de Canonico, qui abest ad terminandum processum injuste sibi a Capitulo intentatum. 2. De Canonico, qui delegatur a diœcesi pro regulandis decimis. 3. De Canonicis deputatis ad Synodum vel conventum Cleri. 4.

De

De Archidiacono actu visitante parochias sui districtus. 5. Denique de Canonico, qui de mandato expresso Episcopi sui concionibus occupatur tempore Adventus vel Quadragesimæ, aut per Octavam Corporis Christi, aut ad Missiones deputatur. *Pontas.*

CASUS VI. Leopoldus Canonicus de jussu expresso Episcopi jam per sex menses administrat parochiam ruralem. Estne coram Deo exemptus a residentia & præsentia in choro ac Divinis; præsertim si Episcopus non potuit invenire alium Clericum idoneum, qui potuisset obire functiones parochiales?

β. Juxta constitutionem Bonifacii VIII. Cap. *Consuetudinem*. un. Lib. 3. Tit. 3. in 6. Leopoldus est exemptus ab obligatione residendi & præbendæ suæ deservendi, dum dicto modo functiones parochiales exercet. *Pontas.*

CASUS VII. Candidus habet canonicatum, cujus annui redditus non excedunt sexaginta florenos; cumque modicum hoc non sufficiat ad honestam sustentationem, parochos quosdam rurales juvat in exercitio ministerii pastoralis & curæ animarum, ut victum sibi lucretur. Licetene in his circumstantiis abest a suo canonicatu ultra tempus Canonicis a Tridentino permissum?

β. Qui acceptat Beneficium, acceptat & onera ejusdem ac obligationes. Porro præcipuum onus Canonici est assistere choro in sua ecclesia, cui satisfacere non potest, nisi actualiter resideat in loco Beneficii. Ita Alexander III. Cap. *Conquerente*. 6. Lib. 3. Tit. 4. Author Glossæ addit: *Et sic patet, quod Clericus residentiam facere debet in ecclesia sua; alias potest ea de jure communi privari.* *Pontas.*

Nota. Cum leges ecclesiasticæ non possint esse irrationabiles, absque injuria extendi non possunt ad ejusmodi circumstantias, ad quas extensæ fierent irrationabiles. Itaque pro hujusmodi circumstantiis per episcopum providere tenetur Episcopus.

CASUS VIII. Sulpitius Canonicus ad S. Mauritium potestne absque peccato abesse per duas vel tres septimanas ultra tempus a Tridentino concessum, ut consanguineo vel amico ægrotanti assistat, vel magnas inimicitias inter personas valde eminentes authoritate sua ac prudentia componat?

β. Si Sulpitius persuasum est, præsentiam suam in dictis circumstantiis esse necessariam, non peccat per absentiam a loco Beneficii tantillo tempore. *Per Christianam charitatem*, inquit Cardinalis Toletus Instruct. sacerdot. L. 5. c. 4. h. 3.

P 2

Oppr-